

rum Philosophorum alius. Interim & hoc cordatior aliquis Aristotelicus facile agnosceret, si rationi maluerit quam affectui auscultare: Cùm Aristotelis Philosophia eo quo cœpisset ævo nova maximam partem, respectu superiorum temporum, fuerit, nec ideò tamen rejicienda aut eliminanda; injustissimum etiam hodiernum esse, si, quæ noviter inventa sunt aut tradita, odio ideò habeantur quòd nova sint, & cum receptis decretis non consentiant.

VII. Ista verò Sectarum intemperantia, ubi semel injustitiæ malitiæque apicem attigerit, ut, quos solvere argumentorum adversorum nodos nexusque non possunt, gladio dissecare Alexandreo ausu allaborent, & cùm vincere demonstrando adversam partem non valent, supremarum potestatum brachium in subsidium vocent, Virorum principum magnorumque aliorum, qui sublimioribus arduisque magis ac Reipubl. utilissimis Consultationibus, quam speculationibus Philosophicis operam navare consueverunt, haut rarò petulanter abusæ; tum verò in factiones & intestinos tumultus erumpentes, quantâ clade afficiant Remp. quantam perniciem inferant Ecclesiæ Christianæ, tristi hodiernum exemplo suo comprobant: afflictissima foris intusque Batavia; nihil horum ex illo quidem capite passura, nisi priscam antehac sectam pro conservando dominatu suo, tanquam pro aris & focus pugnantem, & novam hodiè, istam de folio suo deturbare procaciter ausam, gremio suo excepisset. Quantò meliùs autem ex adverso consultum sit ei regimini, ubi philosophandi modus electivus obtinet, ac dominatus ille.

Scholasticus omninò exulat, antecedente capite dictum est.

